

ALLEGATIONES

[P. 11] *Allegationes honorabilis fratris Ffrancisci Eximenez, in sacra[ta] pagina magistri, de ordine minorum, ad probandum quod ecclesia Christi siue prelati eiusdem habeant de iure temporalem iurisdictionem probant doctores multipliciter.*

Quod ecclesia Christi siue prelati eiusdem habeant de iure temporalem iurisdictionem probant doctores multipliciter. Et primo per decisionem Bonifacii VIII in sua extravaganti que incipit «Unam sanctam ecclesiam», quia finalis decisio est ista: Vos quod gladium portatis temporalis, siue iurdictio, penitus est sub gladio et iuridiccione potestatis spiritualis, sicut dicta decretalis longa probatione probat. Et hec decisio debet suficere cuilibet christiano, iuxta illud Deuteronomio XVII^o, [12]: *Quicumque superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, [et] decreto iudicis morietur homo ille.* Quilibet [P. 12] igitur christianus tenetur dicte decisioni stare sub pena mortis, saltem spiritualis, que est in obedienciam christianam ad sumum pontificem, maxime in hiis que per eius decretalem sollemniter sunt publicata incurritur et expresse.

Secundo, hoc ponit expresse beatus Bernardus, *libro III^o De consideratione ad Eugenium papam*, dicens: «Quid tu denuo usurpare gladium temptas, semel quem [i]ussus es repone[re] in uaginam? Quem tamen qui [tuum] negat, non satis atendit uerbum Domini dicentis: *Conuertere gladium tuum in uaginam* [Joan. 18, 11]. Tu ergo ipse euaginandus es, alioquin si nullo modo ad te pertineret, dicentibus apostolis Christo: *Ecce duo gladii hic*; non respondisset Dominus, *Satis est* [Luc. 22, 38]; set dixisset Dominus, “Nimis est”. Uterque gladius est ecclesiae spiritualis et materialis; sed hic quidem spiritualis est pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exserendus: ille sacerdotis, et iste est militaris, set ad nutum sacerdotis et ad jussum imperatoris». Hec ille.

[P. 13] Item et tercio, Hugo, *De Sacramentis, parte secunda, c. X^o*:

«Supernalis semper potestas terrenam instituere habet, [ut sit], et informare et judicare [habet] si bona [non] fuerit». Hec ille.

Quartus, habetur 22 *distincione, ca.º «Omnes»*, quod ecclesiam solus «ille fundavit Jhesuschristus, et super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro eterne uite clauigero terreni simul et celestis imperii iura comisit». Hec ibi.

[P. 14] Quinto, Ysidorus, in *Libro de personis ecclesiasticis*, unde dicit quod sumus pontifex in lege gracie perfectior fuit quam in lege nature et scripture; set in lege nature (41) sumus sacerdos fuit Melchisedech, qui figuram tenuit Christi ut dicit psalmista Psalmo CIXº, [4], et Ad Hebreos c. 5º [6, 10], qui simul fuit pontifex et rex simile, ut patet Genesis [14, 18]. Set in lege fuit Moyses simul dux populi et sacerdos, iuxta illud psalmus: *Moses et Aaron in sacerdotibus eius*; igitur per locum a maiori in lege gratie sumus sacerdos et rex simul fuit Christus, et consequenter eius vicarius generalis Petrus, et successores eius. Confirmatur haec consequentia quia alias sumus pontifex legis gratie minor esset quam sumus pontifex nature.

Sextus, Hugo, *De Sacramentis*, sic inquit: «Pontificalis dignitas regalem potestatem non solum sacrat per benedictionem, set eciam per institutionem». Hinc est quare non potest coronari imperator nisi auctoritate pape qui cum eum coronat sumit gladium euaginatam de altari et tradit illum imperatori sic dicens: «Accipe gladium de super beati Petri corpore sumptum per manus nostras, uice tamen de auctoritate sanctorum apostolorum consecratas, imperialiter tibi concessum ad uindictam malorum laudem uero bonorum». Et accingit illi enssem dicens: «*Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, etc.» [Ps. 44, 4]. De quibus uerbis et ceremoniis patet quod imperator, qui est summus princeps temporalis in ecclesia Dei, cognoscit imperium se habere a papa et, per consequens, est tempore papa superior illo in temporalitate. Confirmatur hec ratio quia eciam coronacio regum, cum aliis multis quae inferius habent dici, euidenter ostendit quod rex qui coronatur, tam uerbo quam facto confitetur se recipere regnum per collaborationem seu ministerium sacerdotum. Ubi uide quod cum rex coronat unus de episcopis ipsum circumstantibus proponit archiepiscopo qui cum habet coronare sic: «Pater reuerende,

postulat sancta mater ecclesia ut presentem egregium militem ad dignitatem regiam subleuetis». Tunc interrogat metropolitanus sic: «Scitis illum esse dignum et utilem ad hanc dignitatem?». Illi episcopi tunc respondent: Et nouimus et credimus eum esse dignum et utilem ecclesie Dei et ad regimen huius regni». Et respondent omnes: «Deo gratias!» Tunc coronatus publice admonetur de fide et dilectione Dei et de multis aliis. Quibus dictis, coronandus facit sequentem professionem: «Ego, talis, profiteor et promitto coram Deo et angelis eius deinceps legem, iusticiam et pacem sancte Dei ecclesie et [P. 16] populo michi subiecto proponere et nosse facere ac seruare, saluo condigno misericordie Dei respectum, sicut cum consilio fidelium meorum melius potero inuenire, pontificibus quorum ecclesiarum Dei condignum et canonicum honorem exhibere, atque ea quae ab imperatoribus et regibus ecclesiis collata et reddita sunt inuiolabiliter obseruare, abbatibus, conuen (41v) tibus et uassallis meis congruum honorem, consilium fidelium meorum praeservare, et hec omnia super hec sacrosanta euangelia tacta me ueraciter obseruaturum iuro».

Ex predictis dictis et factis satis clare potest principale concludi propositum, uidelicet preheminentia prelatorum ecclesie Christi ad principes et reges terre. Sic etiam laicius patebit infra, ratione XI, et patuit bene ex multis pro eminentia ecclesie allegatis. Notat etiam Laurentius, *Distinctio iuris*, quod regum unctio non potest fieri nisi a sacerdote, quod ostendit Deus in lege in Saule, et David unctus a Samuele, ut patet I^o Regum [10, 16] et *16 distinctio*, et *Extra, De electione*, «*Per venerabilem*».

Septimo, constat euidenter et est *distinccione 96, «Constantinus»*, quod Constantinus imperator dedit imperium occidentale beato Siluestro ut vicario Christi, et successoribus eius canonice intransibus, et Silvester illud recepit et illo toto tempore vite sue est usus ut administrator et ut vicarius Christi. Et constat quod eodem iure sunt usi omnes successores; igitur uigore talis collacionis papa habet plenum dominium super dictum imperium sicut habebat Constantinus, qui illud plene habuit et possedit. Confir-[P. 17]-matur hec ratio quia successores Dei, sicut beatus Gregorius et Leo et Celestinus, et multi alii, qui nullo modo fuissent tali iure usi nisi

de facto tale jus habuissent imperiali super imperium predictum, quia fuissent raptores et tyranni possidentes rem alienam inuito domino. Confirmat dicta ratio sic, secundo, quia beatus Thomas Cantuariensis pro defensione libertatis et rerum ecclesie est martirizatus, cuius ecclesia magnas et multas habet temporalitates, quibus non fuisset usus nec pro deffensione earum martirizatus, nisi constasset sue consciencie euidenter quod illa erant omnia ecclesie Christi et iura, pro quibus est mortuus. [P. 18] Confirmatur adhuc, 3^o, dicta ratio et sequentes, quia constat quod papa infeudauit Ceciliam, Sardiniam et multas alias terras que sunt ecclesie, et quod in Ytalia possedit multas ciuitates et castra et terras que sunt ecclesie et quas sepe abstulit justissime a tyrannis, et ibi habet dominium principale et per gens, et omnia pertinencia nin dominio tali et iuridiccione superiori.

Ottauo, sicut tangit dictus Bonifacius 8^o in dicta *extravaganti*, ex unitate fidei et ex unitate ecclesie confingit necessitas unius solius principalis capitis in quo sit iuridicio uniuersalis, nam omnis pluralitas eciam, secundum philosophos reducitur ad unitatem, et requirit necessitas rerum ut bene regantur, iuxta illud philosophi, *III, 12^o Metaphisice*, dicentis quia «encia nolunt male disponi, unus est ergo princeps». Omnis eciam constans et civilis reducitur ad unum rectorem qui est (42) caput. Corpus eciam meum naturale tamen habet unum caput, aliter esset corpus accephalum et monstruosum. Ex eiusdem igitur clare patet quod totum corpus ecclesie requirit unum capud ad quod omnia reducantur et ad quod sit omnium recurssus finalis. Et hoc uidetur tangere dictus Bonifacius in dicta decretalis, allegans dictum Dionisii dicentis quod «lex diuinitatis e[s]t, infirma per media», et media reducere ad suprema; sic ordinatur jerarchia regnum celeste et status angelorum, igitur sic ordinari habet regnum terrenum, ut inferiora videlicet populi regantur per principes, et principes per pontifices, et pontifices per unum papam et sumum pontificem qui in omnibus proferatur eis et presideat, aliter nulla esset clara decisio in dubiis, nulla concordancia in mundi regimine, nulla pax in uniuersso, nisi omnia reducantur ad unum caput. [P. 19] Et hoc inuit lex diuina quando dixit, loquens de sacerdotibus legalibus: «*omne negocium ab eis dependet*». Hoc eciam induxit et *XI*,

q. I, «Nullus», et 32, q. II, «Preceptum». Unde Zacharias papa deposuit Ludouicum regem Franchorum (42v), preceptorem Pipini patris Carroli Magni (15 q. 6 «Alius»), et Ignocens deposuit Othonem imperatorem, et Ignocens III^o deposuit Fredericum imperatorem, et Johannes XXII^o deposuit Ludouicum imperatorem bauarum. Confirmatur quia omnis christianus, ratione peccati [P. 20] mortalis fit de foro ecclesie. De hoc *Extra, De foro competenti, «Ex transmissa»*, et 13, q. II, «Administratores». Item, princeps habens causam contra alium potest deponere coram papa, *Extra, De iudiciis, «Nouit»*. Papa eciam potest absoluere subditos alicuius heretici, vel ab ecclesia condempnati, ab eius dominio et juramento fidelitatis sibi facto, *Extra, De Hereticis*. Ex quibus patet qualiter principes subsunt ecclesie, quod non posse fieri sicut nec alia precedentia, nisi papa haberet iurisdictionem plenissimam super eos. Ideo principes debent succurrere ubi ecclesia non sufficit vel patitur, 23, q. LI, «Principes». Item, papa suplet defectum regis vacante rege, *Extra, De electione, «Cum inter uniuersas»*, in fine, et defectum imperatoris uacante imperio, *Extra, De foro competenti, «Licet»*, § 1, et *De electione, «Cum inter uniuersas»*.

Et hic notant doctores quod ecclesia potest se intromittere de temporalibus in istis casibus. Primus, cum aliquis principis dat ecclesie castrum, uel villam, uel aliud, modo quo ecclesia habet patrimonium sancti Petri uel regnum Sicilie, quod est patrimonium ecclesie, 23 *distincione «Ualde»*. Secundo, quando occurrit aliquod difficile uel ambiguum, sicut precepit Deus modo similari Deuteronomio, uel unde maiora negocia ad Deum hunc referri, 2, q. 6, «Omnis». Christus, Luce II^o [17], cum dixit quod *omne regnum in se diuisum desolabitur* in exitium, sine pace et concordia et, consequenter, in destructione, sicut ibi dicit Jeronimus, dicens quod «sicut parua concordia crescunt, sic magna concordia dilabuntur».

[P. 21] Nono, habetur, primo, quod *Extra, «Quia praesulatus nostri bene nostis»*, magisterium non solum de sacerdotibus, set et de secularium utilitatibus debet esse sollicitum; et 22 *distincione, «Omnes»*, ibi «qui beato Petro eterne uite clauigero terrestrem simul et celestis iura comisit», et hoc cum sine distincione

personarum dixit ei: *pasce oves meas*, per que uerba Christus fecit beatum Petrum pastorem et prelatum mundi, ut notatur distincione, *In nouo, in glossa*, et per consequens fecit eum dominium generaliter et generalem.

Decimo, tenet Hostiensis quod «quamuis iurisdictiones ecclesie et imperatoris sint distincte quoad executionem, tamen imperator tenet imperium ab ecclesia romana et est uicarius et officialis eius». Et probat, quia electores et imperatores habent potestatem eligendi ab ecclesia, ut patet *Extra, Uenerabilem, «Verum»*, et de hoc satis ibi, *De re iudicata, «Pastoralis»*. Et imperatorem confirmat, iungit et coronat, aprobat, reprobat et deponit, ut patet ibi supra, capitulo «*Uenerabilem*», § 1-2. Confirmatur hec ratio: nam «romana ecclesia imperium transtulit a Grecis in Germanos», et si princeps secularis fuerit inutilis et dissolutus et negligens circa sui regnum iusticiam et pacem observandam, papa potest eum absoluere a dignitate regia et alteri utili et pertinenti dare, ut patet 22, q. III, «*Si quis deinceps*», et *Obedientia, «Solite»*, et in *Clementinis*, et in VI^o, *De sententia et re iudicata, capitulo «Pastoralis»*, § «*Nos quoque*» et *De foro competenti, «Licet»*, et *Extra, De excessibus prelatorum, «Ex litteris»*, et clare «*Ne clerici uel monachi*», c. fi. li. VI, et in multis aliis locis que essent tediosa nimium omnia referre. Et quod ecclesia hoc per se potuit statuere patet in *Decreto, capitulo «Omnes siue patriarche»*, et in capitulo «*Nulli fas*» igitur dicitur, et ibi hoc totum ponitur clare.

[P. 22] Theologi eciam aliqui sic arguunt ad eandem questionem. Primo, quia papa habet super alios iurisdictionem coactiuam, igitur et temporalem tenet condigna, quia unum clauditur in alio. Antecedens probatur quia ministerium et seruicium pape consistit in regendo et gubernando gregem commissum, quos non posset faceret nisi haberet iurisdictionem coactiuam. Secundo, sic: quia constat quod papa est iudex uniuersalis et ordinarius et temporalis, sentenciando et puniendo malefactores; igitur habet iurisdictionem super omnes tales. Tercio, quia adductum est eciam super questionem, papa eciam ratione peccati mortalis se potest intromittere de sic pecante, igitur, etc. Quarto, quia Christus eiecit ementes et uendentes de templo, euidenter concludit quod habuit iurisdictionem et potenciam coactiuam super illos quos

potestatiue eiecit, aliter fecisset eis iniuriam; ex potestate officii fecit, igitur habuit iurisdictionem et potestatem super eos, aliter fuisset homicida. Quinto, quia papa in suis litteris utitur istis terminis frequenter: «Ordinamus, statuimus, volumus, concedimus et dispensamus, de plenitudine potestatis», que omnia ostendit in eo esse iurisdictionem et potestatem coactiuam et dominium hominum et rerum [P. 23] oppressus. Sexto, ratione delicti, *Extra, De Judiciis, «Nouit»*, est iam tactus supra, cum minister uel iudex uel regens secularis est negligens, sicut est dictum statim supra.

Ex hiis inferunt doctores quod papa est uerus monarcha, maxime imperio Occidentis sibi a Constantino concessio, et potest uti utroque gladio si uellit, tamen propter honestatem committit gladium temporalitatis brachio seculari. Et istum gladium iurisdictionis temporalis excercuit Christus faciens *flagellum de funiculis*, eiciendo *oues* et *boues* de templo et *mensas* numulariorum euertendo et *es* effudendo, sicut dicitur Jo. 2^o [14-15]. Et de facto Petrus excercuit secundum istos gladium contra Ananiam et uxorem eius, Actuum V^o [1-11]. Similiter Paulus, Actuum 13 [11], cum dixit cuidam *eris cecus ad tempus*, et cum tradidit quidam Sathane ad torquendum, Prima Corinthiorum V^o [5].

Ad eandem conclusionem principalem probandam adducunt sequencie iura iuriste aliqui, seu ecclesie canoniste. Primum est quia hoc dicunt quod apparet late, *Extra, De Judiciis, «Nouit», q. 2, «Quicumque»*. Vide etiam Inocentius ad hoc trahentem decretalem predictam, *«Nouit»*. Idem, patet per legem Theodosi imperatoris quam habemus canonicam, *Extra, De Judiciis, «Nouit»*. Idem, in auctoritatem *Judices sine quoque sufragio*, et pro ibi nota super uerbo presente et *Ut diferentes iudices*, § *«Si uero contingerit»*, et (43) c. *De no., «Munera», pe. l., In contractibus, in fine*, et *De epistola Audi, l. «Si presens»*, et *capitulo De animali exceptio, «Ut perfectius»*. Idem, probatur expresse, 22 *distinctione, capitulo «Omnes»*, ubi patet quod eccle-[P. 24]-sia habet utramque iurisdictionem. Probatur etiam idem hom. *Distinctione capitulo «Ego Ludouicus»* et *capitulo «Tibi Domino»* et *Extra, De appellationibus, libro Vi^o, Extra, De delicto puero referente. VII^o, Ad*

Hebreos, X^o, probat seu ostendit apostolus quod lex fuit umbra et figura legis Christi et imperfectior ista; set in illa sacerdotes et pontifices regentes populum habuerunt plenitudinem iurisdictionis et potestatis in populo, sicut patet in Moyse, et in Heli, et in aliis, et eciam in Melchisedech, qui simul fuit sumus sacerdos et rex Salem, ut patet Genesis XIII^o; igitur hoc non decet negari a summo sacerdote legis gratie siue regis Christi. VIII^o, quia sicut patet Luce XXII^o [37-8], Christus dixit apostolis: *qui non habet gladium uendat tunicam et emat gladium*. Tunc Petrus dixit: *Domine, ecce duo gladii hic*, et Christus repondit: *Satis est*, significans Petrum se habere utramque potestatem spiritualem et temporalem, sicut dicit Bernardus, *Libro de Consuetudine ad Eugenium papam*. Nono, apostolus Paulus, Cor. VI^o [2-4], dicit sic: *Nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in uobis iudicabitur mundus, indigni estis ut de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos (43v) iudicabimus? Quanto magis secularia?* Hec apostolus. Ex hiis patet quod apostoli habuerunt ordinaria potestatem et iurisdictionem rerum temporalium et secularium huius mundi, quia in futuro iudicio iudicabunt homines mundanos et angelos malos. Decimo, sic: Qui committitur principale, et accessorium ei committitur; set temporalia ad spiritualia habent se sicut accessorem ad principale, secundum illud Mathei VI^o [33]: *Querite regnum eius et iusticiam eius, et hec omnia addicientur uobis*; cum ergo solus comiserit Petro et apostolis ordinariam iurisdictionem spiritualium, sequitur quod convenienter et accessorie comisit eis rerum temporalium ordinariam et iudicariam potestatem. Infinita alia argumenta adducunt et autoritates Scripture sacre, que cuasa breuitatis omitto.

Expeditis, clare reducitur ueritas propositi principalis in principio premissis, uidelicet: «Quod ecclesia Christi siue prelati eiusdem habent de iure temporalem iurisdictionem» et plenam, tam in suis subditis quam in rebus. Ex quibus eciam sequitur: Primo, quod curia ecclesiastica instanter et iudice petens rigore clericos captos per curiam secularem, facit quod debet et ad quod tenetur, quia tales capti sunt sui iuris, quos tenetur defendere et protegere et liberare, et in hoc sequitur consilium Scripture sacre, Proberbiorum XXIII [11]: *Qui trahuntur ad interitum liberare non*

cesses. Hoc etiam pertinet ad potestatem pastorem, que oues suas defendere tenetur ut pastor et pater; nec per hoc detrahitur iusticie seculari, cum iam per iura canonica sic decisum qui sunt illi qui suis demeritis priuantur beneficio clericali, et curia ecclesiastica nichilominus teneatur reos punire secundum quantitatem delicti, iuxta illud *Deuteronomio XXV*^o [2]: *Iuxta mensuram delicti erit plagarum modus*, et secundum ecclesiastica instituta.

Secundo, sequitur ex premissis quod curia secularis in predictis resistens curie ecclesiastice grauiter peccat ponendo falcem [P. 26] suam in messem alienam et comittit sacrilegium, specialiter cum capitur sacerdos uel inuadit, nisi in casibus a iure expressis uel cum licencia episcopi uel sui officii; ymo, ultra crimen quod comittit in hoc, officialis secularis incurrit de iure omnes penas quas incurrit de iure ponens manum in clericum et violans ecclesiasticas libertates. Et hic nota quod nomine «ecclesia» aliquando accipitur generaliter per tota congregatione fidelium, et sic iam accepit Christus quando dixit, *Matei XVI*^o [18]: *Super hanc petram edificabo ecclesiam meam*, id est: totam congregationem fidelium. Secundo, accipitur ecclesia spiritualiter pro aliqua spirituale congregatione, et sic accipit eam beatus Petrus in [1] *Petri V*^o [13], dicens: *Salutat vos Ecclesia que est in Babilone*, id est, Rome, secundum glossam. Et sic accipitur convenienter ecclesia cum facimus differentiam inter laycos et cleri (44) cos siue ecclesiasticos, et sic congregatio laycorum non est ecclesia, et sic loquimur in isto proposito siue in isto processu seu tractatu. Per quod patet quod dicere quod curia secularis sit curia ecclesiastica per hoc quod utraque est a Deo, falsum est et insufficienter probatum, licet addatur quod curia secularis est Dei minister interficiens malos homines, quia nichil horum est ad propositum nec probat quod intendit, scilicet quod curia secularis sit curia ecclesiastica, acci-[P. 27]-piendo ecclesiam particulariter modo, dicendo et loquendo ad propositum de ecclesia.

Tercio, sequitur ex premissis quod quicumque suadeat efficaciter principi ut puniat clerum uel clericum qui non est sui fori, peccat mortaliter, et si inde sequatur punicio talis quod ipse sit suadens, incurrit penas eorum qui machinantur et

agunt contra ecclesiasticas libertates, ymo talis tenetur ad satisfaciendum leso et ecclesie lese in tali, et tenetur reuocare machinacionem et informacionem quam fecit principi contra clerum, sicut fundant sic loquentes super illo uerbo apostoli Ad Romanos I^o [32], quod uidelicet facientes et consencientes eadem pena puniantur.

Quarto, sequitur clare ex premissis quod nullo modo pertinet ad principem interficere corporaliter omnem reum mortis. Patet quia hoc habet instanciam in clerico seu ecclesiastico, sicut superius est adductum. Et si dicatur quod in Christo fuerunt simul utraque potestas et iudicio, igitur et in rege, dicitur quod consequentia non valet quia reges non succedunt Christo in suis excellentiis et donis. Si eciam dicatur quod Salomon fecit interfici Joab, reum sanguinis, igitur et rex potest interficere omnem sic reum, dicitur quod consequentia est neganda quia quodcumque opera Salomonis non faciunt nobis legem. Salomon et non iussit dictam mortem ut rex set ut iussus a Dauid patre suo in morte a Deo in spiritu, ut dicunt doctores. Interfecerat ei *duos uiros meliores se*, ut dicit textus ibidem, licet sine dubio posset siue potuisset eos interficere ut rex; et secundum legem Dei hoc iubentur Exodi XXI^o [14]: *Si quis de industria occiderit proximum suum: ab altari meo euelles eum ut moriatur.*

Quinto, sequitur quod non potest stare quod curia spiritualis solum habeat curare de lege diuina et mandatis et cerimonis et iustificacionibus, quia si sub iustificacionibus aprehendas iudicacionem ecclesiasticam et alia pertinentia iuri spirituali, igitur male et inutile dictum est quod spiritualis solum habet curare de lege et, consequenter, quia per ly «solum» nichil excluditur set est [P. 28] adquare in omnibus curiam curie, quod repugnat prioribus dictis (44v) ubi dictum fuit quod curia spiritualis peccat petendo malefactores suos quia ad regem pertinet punire tales, et quoniam in omni loco ubi reatus mortis inueniatur pertinet punicio ad regem, que simul non potest stare, ymo in hiis dictis est contradiccionis manifesta.

Quedam eciam allegantur contra predicta, que non probant intencionem probancium. Et primo, adducitur quod dicit Petrus, uidelicet quod obediatur regi *quasi precellenti* et in temporalibus. Respondetur quod istud placet nobis, nec est

contra predicta. Ad secundum, cum dicit quod sol et luna, quae designant dictas duas potestates ministrant omni creature secundum suum officium, conceditur hoc totum, set nichil ad propositum. Ad tertium, cum dicit quod Moyses et Aaron excercebant utramque potestatem [P. 29] sine distincione potestatum, conceditur hoc totum, set nichil ad propositum, quia facta illorum non sunt nobis lex, unde sicut dicit apostolus ad Hebreos VII^o [12]: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translacio fiat*; ideo, adueniente lege graciae lex mosayca est euacuata, nec regimur per illam. Tunc enim sacerdotium subiectum regimine potestati, modo autem est contrarium, quia regis potestas est sacerdotio subiecta, secundum quod superius multipliciter est ostenssum. Ad quartum, cum dicitur quod precepit Deus Moysi: *Maleficos non pacieris uiuere*, conceditur hoc, set nichil est ad propositum ut patet per predicta, per idem patet solutio. Ad quintum, cum allegatur illud Ezechielis IX [1] quod habentes uasa interfectionis VI sunt, est dicendum: conceditur, sicut supra, set hoc nichil probat contra posita supra. Et hic nota quod licet ea moralia que fuerunt iussa a Deo in lege mosayca habuerint uim obligandi nos qui sumus in lege graciae, tamen cerimonialia sunt omnino euacuata et mortifera ad obseruandum, quia fuerunt instituta ad figurandum; ueniente ergo Christo quem significabant, cessant figura. Omnia «judicialia sunt mortua quia non habent uim obligandi»; ideo allegare ea ut obligatiua ex legis institutione est mortiferum et preiudicat fidei et ueritati, ut ostendit sanctus Thomas in *Prima Secunde Summae, q. CIIII^o, articulo 3^o*. Ex istis patet qualiter aducte probaciones ex iudiciis superius, quod non valent.

[P. 30] Hiis premissis, consulo ut amicus illarum qui contra libertatem ecclesiasticam surgunt, tam detestabilem materiam omnino, dimittere, tam propter Dei reuerentiam quam propter amorem siue salutis; unde gloriosus Deus semper cum talia insurgunt propter sui gloriam facit partem cum ecclesiasticis, ipso dicente: *Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite malignari*. Et Leuitici, I^o, dixit de istis pro spirituali amore: Hii enim mei sunt, id est, ad cultum meum dedicati. Et Gregorius in *Pastorali*: «Peccata populi uult omnipotens Deus per sacerdotes iudicari, autem peccata sacerdotum iudicat per se ipsum». Et qui in sacerdotium uult

inruere, est os suum in celum ponere et contra suam machinari salutem, unde Basilius, in *Epistola ad Torquatium* principem Carentinum sic inquit: «Super omnia stude semper gloriosum Deum tot animo honorare et sacerdotes eius, unde sacerdotium honorare sepius replicauere in lege, et omnes qui sacerdotium extulerunt, ab eo sunt notabiliter exaltati, ut patet in (45) Abraham respectu Melchisedech, et in Dauid et Salomone et in aliis multis. Qui autem sacre fedarunt uel in Dei cultores egerunt perperam, notabiliter ceciderunt. Consideretur Chore cum ducentis conbustum quia in Moyse et Aaron Dei sacerdotes inuaserunt, unde Datan et Abiron a terra propter id absortos nomine tribus Benjamin quia in sacerdotem offendit sanctum penitus est deleta. Oza, qui temerarie archam Domini tetigit, subito spirauit. Ozias etiam rex, qui in sacerdote[m] suum offendit, leprosus est effectus. Joas, qui [in] Zachariam filium Joiade peccauit, fortissimo dolore uiscerum est intereptus. Nabuchodonosor, qui in templum Domini fore fecit, in bestia est mutatus. Senacherip turpiter debellatus dum in ciuitatem Domini basfemauit. Antiochus fetenter mortuus in templo fortiter percussus. Felix Pompeius, qui in tem-[P. 31]-plum Domini equos reposuit, infeliciter est decapitatus. Nonne eciam in lege gratie a Nerone et Domiciano inchoantibus persecutione in sancta ecclesia decem tiranni turpiter dapnati in Tibrim mortuus est deiectus?» Hec ille. Cuius ductum videmus habere uerum per experienciam in temporibus nostris. Nonne Julianus apostata, contra ecclesias aspirans, a Mercurio milite est turpiter interfectus? Fredericus eciam, Corrarius et Manfredus, qui in clerum hodierno grandissime extulerunt, interfecti sunt omnes cum suo semine et deleti.

[P.32] Bene...nauicula Petri reuerenter tractetur, quia fluctuari potest, mergi autem nequaquam, quia pro ea orauit Redemptor *et exauditus est*. Christianus igitur, ut Christo suo iudici placeat, exemplo magni Alexandri pagani sacerdoti in omnibus licitis et honestis deferat et ipsum honoret et confidenter, qualiter Constantinus, Theodosius, Justinus et Justinianus externe honorauerunt clerum, et legimus in *Libro de Ystoria Tripartita*, ideo prosperati sunt semper. Ymo etiam hoc seruauerunt ydolatre ut refert ualerius Maximus, *librro primo et titulo De cultu decorum*, et

propter hoc multi tales infideles ad Dei noticiam et post ad salutem per Dei misericordiam adducti. Multo igitur plus inclinabitur Dominus ad misericordiam faciendam christiano propter ipsum suum servitorem honorante[m], quia talem faciet hic honorari et prosperari in utroque homine, quia benignus et generosus est suis dilecto-[P. 33]ribus, dans eis hic gratiam et post gloriam, quam nobis ipse Jhesus concedat, Deus inefabilis, qui cum Patre et Spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum. Amen. Deo semper gracias.